EMENDATIONES

TULLIANAE.

SCRIPSIT

REINHOLDUS KLOTZ.

LIPSIAE

TYPIS DESCRIPSIT B. G. TEUBNER.

MDCCCXXXII.

IOANNI CHRISTIANO IAHNIO

SOCIO STUDIORUM CONIUNCTISSIMO

D. D. D.

REINHOLDUS KLOTZ.

In arte critica factitanda cum plurimum librorum fide iisque monumentis quae aliquid aut fuisse scriptum testantur aut non fuisse adiuvemur, maxima utilitas percipi potest ex accurata ac diligenti cognitione librorum palimpsestorum, ad quos nobis aditus egregia opera A. Mai, A. Peyroni, B. G. Niebuhri aliorumque paratus est. id etsi in iis M. Tulli Ciceronis orationibus, quarum fragmenta ex libris rescriptis, qui παλίμψηστοι Graece dicuntur, eruta habemus, probe intellexit I. C. Orellius, explorate percepit E. Wunderus in oratione Planciana, penitus perspexit in Cluentiana I. Classenius, in aliis alii, tamen etiam nunc videmus esse quosdam neglectos locos, qui ex libris palimpsestis, quorum summa debet esse auctoritas, aut rectius scribi aut omnino melius constitui possint. praeter autem quam quod verba scriptoris quae in tali libro leguntur ex eo ipso emendari possunt, etiam alia inde utilitas eaque ut opinor non minor accipitur, ut istorum librorum indicio adiuti etiam de ceteris libris, qui nobis eandem scriptionem servarunt, rectius existimare certiusque iudicare possimus. etenim quem librum videmus in eis locis, quos palimpsestus exhibet, cum hoc maxime consentientem, is sine dubio putandus est etiam aliis locis, quos ille non habet, antiquam scripturam diligenter ac-

curateque custodivisse. denique etiam illud ex libris palimpsestis accurate cognitis intelligi potest, quo iure quaque facilitate communia omnium librorum menda tolli queant.

Ac primum quidem iam in censura orationis Plancianae ab E. Wundero editae (*Nov. Annal. philol. et paedag.* 1832. Vol. I. p. 59—133.) mihi videor demonstrasse aliquoties illum ceterarum rerum diligentem criticum perverso iudicio ab libri palimpsesti auctoritate recessisse, quem ad modum c. XIV. §. 33., ubi docui ex libri Ambrosiani fide id quod Tulliana consuetudo flagitat scribendum fuisse: *consuli P. Nasicae praeco Granius in medio foro cum ille edicto iustitio domum decedens rogasset Granium etc.* pro eo quod ex ceteris libris sumptum obscuravit usque adhuc nitorem sermonis Tulliani *medio in foro*. c. XV. §. 36., ubi significavi ex eodem libro scribendum esse: *nec enim quicquam aliud in hac lege nisi editicios iudices secutus es* pro eo quod volgo legebatur: *neque enim quicquam aliud nisi editicios iudices es secutus.* c. XXIV. §. 58., ubi mihi visum est auctore eodem libro edendum fuisse: *in quo Cassi si tibi ita respondeam*, cum ceteri haberent: *si ita tibi respondeam.*

Sed aliis quoque locis debebant homines critici eam verborum collocationem asciscere, quae libro palimpsesto niteretur essetque ad totam loci sententiam accommodatior, uti in Tulli oratione ea quae est *pro P. Quintio* c. XXI. §. 69., ubi est ex libro palimpsesto Taurinensi scribendum: *quid affertur qua re P. Quintius negetur absens esse defensus?* c. autem XXX. §. 92 sq. Orellius dupliciter falsus esse videtur, primum quod in collocandis verbis non est secutus summam libri Taurinensis auctoritatem, deinde

quod etiam monitus ab eodem libro non reiecit tamen quam alii putarant esse in isto loco lacunam. Verba igitur haec sunt: *ea res nunc enim in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriem ac licentiam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere, an deformata atque ornamentis omnibus spoliata nuda cupiditati petulantiaeque addicatur.* §. 93. *non comparat se tecum gratia P. Quintius, Sex. Naevi, non opibus, non facultate contendit.*, ubi Orellius scripsit: *ea res enim nunc in discrimine versatur*, et indicio levi quorundam librorum ductus lacunae signa inter verba *addicatur* et *non comparat* ponenda putavit. ac primum quidem recte dictum videtur esse ab oratore: *ea res nunc enim in discrimine versatur*, quoniam non tam illud urgetur hoc loco quae res in discrimine versetur, quam quae res nunc, hoc est ex quo acceperunt rei C. Aquillium iudicem fore, exspectanda sit. deinde, ut dixi, sine iusta caussa etiam novissimi editores videntur signa lacunae posuisse post *addicatur*. namque ad sententiam quod attinet, optime procedit ac sine offensione ista oratio, ceterorum autem librorum et editionum nonnullarum auctoritatem facile vincit gravissimum libri palimpsesti testimonium: in eo enim ne minimum quidem vestigium omissionis relictum est, sed haec verba continenter apteque scripta leguntur. ac debebit talibus lacunae indiciis eo minor haberi fides, quo saepius sine ulla caussa et ab librariis et a criticis nostris errores huius modi videmus esse commissos, conf. infra §. 94., ubi ad verba *cum audacia perfidiaque vixerunt* in margine libri Palatini IV. scriptum est: *deficiunt duae dictiones vel una*, sed nihil videtur deesse. ad sententiam quod attinet, omnis con-

iunctio in eis locis recte omittitur, ubi quae adiciuntur verba nihil aliud continent nisi explicationem eius quod ante iam est significatum. conf. orat. *Plancianae* c. X. §. 25. *neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia huius parente semper plurimum essem usus, sed ut quasi parenti et custodi salutis meae. non potentia mea, sed caussa rogationis fuit gratiosa.*; quo in loco ultimis verbis: *non potentia mea, sed caussa rogationis fuit gratiosa*, non minus quae dicta ante erant explicantur quam in oratione Quintiana verbis his: *non comparat se tecum gratia P. Quintius, Sex. Naevi, non opibus, non facultate contendit etc.* amplificantur ea quae erant paullo ante commemorata.

Eiusdem orationis c. XVI. §. 53. debebat Orellius emendationem corruptorum verborum quae in volgaribus libris et editionibus leguntur non inchoare, sed perficere ex libro palimpsesto in hunc modum: *cum ius amicitiae, societatis, affinitatis ageretur, cum offici rationem atque existimationis duci conveniret: eo tempore tu non modo non ad C. Aquillium aut ad L. Lucilium retulisti, sed ne ipse quidem te consuluisti ne hoc quidem tecum locutus: horae duae fuerunt; Quintius ad vadimonium non venit: quid ago?* — ubi ille quidem cetera ex Peyroni ratione optimo libro duce bene constituit, sed in extremis istis verbis non recte scripturam reliquit hanc: *ne haec quidem tecum locutus es*, quae verba liber praestantissimus, ut supra a me posita sunt, cum iis quae antecedunt coniuncta habet. illis enim verbis haec subiecta sententia est: sed ne ipse quidem te consuluisti, ne eo quidem ut tecum hoc

locutus sis. ceterum ut supra alterum non post *non modo* recte est ab Orellio adiectum, ita etiam c. XXI. §. 69. ex eodem libro in novissima editione idem receptum est his in verbis: *si quod tu semper summe concupisti, idem volebat Alfenus, ea re tibi cum eo par contentio non erat?* hoc igitur utroque loco in ceteris libris erat particula negativa *non* omissa, servata autem in libro palimpsesto. quod cum ita sit, cumque in aliis quoque huius orationis locis, ut c. XVI. §. 52., ista particula in quibusdam libris temere sit omissa, existimare debemus eam, quo plerumque solebat compendio scribi *n̄*, eodem etiam hac in oratione in libris volgaribus esse scriptam eoque facilius potuisse abiici a festinante librario. hac explorata re atque percepta iam ad alium me converto locum, qui volgo ita legitur, ut aut nullum aut plane absurdum explicatum habere videatur. c. XV. §. 49. sic ratiocinatur Tullius: *pecuniam si cuipiam fortuna ademit aut si alicuius eripuit iniuria: tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. at non nemo aut ignominia affectus aut iudicio turpi convictus bonis quidem suis utitur, alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat: hoc tamen in miseriis adiumento et solatio sublevatur. cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiectus est: is non modo ex numero vivorum**) *exturbatur, sed si fieri potest infra*

*) Orellius exemplum Beckianum, in quod *virorum* per errorem typographi videtur irrepsisse, secutus male ac nulla auctoritate edidit *virorum*.

etiam mortuos amandatur. etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit. ultima haec verba non modo ad hunc locum non esse apta, sed etiam inter se vehementer pugnare intellexerunt omnes. itaque alius aliam proposuerunt coniecturam, ut aut scriberetur *vita haec turpis ne morti quidem obscurae locum relinquit* aut *existimatio turpis ne morti quidem h. l. r.* aut in antecedentibus ederetur: *etenim mors honesta vitam quoque miseram exornat*, Schützius denique audacissime totum locum ita constituit: *etenim mors honesta saepe vitam miseram exornat: vita turpis et misera ne morti quidem honestae locum relinquit.* Orellius postremo eiectis pravis, ut ait, glossematis sic scribendum existimat: *etenim mors saepe vitam quoque exornat, vita turpis etc.* harum emendationum aliae faciunt contra Latinam consuetudinem, aliae sunt audacissimae ac maxime temerariae testanturque hominum nostrorum in re critica summam lubidinem, uti Schützi Orellique. qui enim potuit fieri, ut *quoque turpem* scriberetur pro *miseram* in omnibus libris et tum verba *et misera* exciderent? qui factum est, ut pro glossemate ad *mors* ascriberetur *honesta*, ad *vitam*, ut voluit Orellius, *turpem?* qua in ratione ne iusta quidem verborum oppositio apparet. quam ob rem credo ego facillimam atque ad hunc locum accommodatissimam hanc esse emendationem, qua nihil aliud hoc loco mutetur nisi ut quam saepe vidimus cum alias tum in hac oratione ab librariis omissam negationem *non* ante *turpem* adiiciamus itaque scribamus: *etenim mors honesta saepe vitam quoque non turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit.* sic ha-

bebimus haec sententiam: *etenim mors honesta vitam quoque, modo ne sit turpis, exornat: vita, si est turpis, ne morti quidem honestae locum relinquit.* sic credo ego hunc locum facili opera esse persanatum, sed accedant iam alii quidam huius orationis loci, quos sive librarii sive homines critici cum vellent emendare, videntur corrupisse. ac primum afferendus est locus qui legitur c. I. §. 5., ubi miror quod homines docti cum Veneta editio atque Iuntina eandem tuerentur scripturam, quam habent etiam libri Oxonienses tres, tamen aliam rationem eamque ut opinor deteriorem anteferendam censuerunt. verba sunt haec: *quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae, si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate, caussa pendetur: profecto nihil est iam sanctum neque sincerum in civitate, nihil quod humilitatem cuiusquam gravitas et virtus iudicis consoletur.*, ubi nuper cum ab aliis tum ab Orellio scriptum est: *profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate.* nam etsi haec scriptura per se possit probari, tamen cum negatio praecesserit bene etiam copula negativa sequitur. sed magis etiam mirandum videtur esse, quod simile vitium idque profecto maius atque ad pessumdandam loci sententiam gravius etiamnunc obsedit alium Tulli locum, qui est in *Laeli* c. XIV. §. 50. quem locum ita ex libris optimis scribendum duxi: *quid? si illud etiam addimus* (vulgo legitur: *quod si etiam illud addimus*), *quod recte addi potest, nihil esse quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat quam ad amicitiam similitudo: concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant asciscantque sibi*

quasi propinquitate coniunctos atque natura. nihil est enim appetentius similium sui nec rapacius quam natura., ubi miror ab omnibus editoribus optimorum librorum scripturam esse neglectam, a Beiero eam tantum ob caussam antelatam, quod lib. *de officiis* I. c. XVII. §. 56. haec verba legerentur: *nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum.* flagitat enim in isto Laeli loco sententia, quae his verbis subiecta est, ut quod optimi libri tueantur, ut Erfurtensis, Bernensis, Basileensis, Vindobonensis uterque, alii multi, id adsciscamus. etenim si scribemus, ut vulgo scribitur: *nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius quam natura*, non satis intelligetur verbum *rapacius* apte esse coniungendum cum iis quae praecesserant verbis *appetentius similium sui*, ita ut tum nova oriri videatur sententia. etiam c. XV. §. 50. in oratione Quintiana iniuria videntur haec verba esse mutata in novissimis editionibus: *ergo hercule cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe tacite obscureque conceditur.* hic cum libris quibusdam particula *certe* nuper eiecta est ante *tacite*, quae quam facile ab librariis omitti potuerit apparet, cum sequerentur haec verba *tacite obscureque* cumque omnino coniunctae istae particulae saepe ab librariis depravarentur, conf. A. G. Gernhard. ad Cic. *Cat. mai.* c. II. §. 6. p. 14. et C. Beier. ad Cic. lib. *de officiis* I. c. XXXIX. §. 138. neque in eo opinor quisquam offendet, quod praecessit *ne* negatio, quae praeter negationem nihil ad hunc locum affert, Graece eodem modo dicas quo magis singularem vocem efferas: μηδὲ ἀπολέσθαι

γοῦν. cf. Luciani Gall. §. 1. ὡς μηδὲ νύκτωρ γοῦν τὴν πολὺ σοῦ μιαρωτέραν πενίαν διαφύγοιμι., quod Latine reddes: *ut ne nocte quidem certe egestatem multo te impuriorem effugerem.* deinde eiusdem orationis c. XXIX. §. 89. in libris omnibus habemus haec verba: *omnia autem bona possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte, sed in universis quae teneri ac possideri possint.*, ubi critici inde a Lambino ex Hotomani coniectura scripserunt omnes: *omnino autem bona possessa non esse constitui.*, quod tametsi ferri posse videatur, multo tamen ei scripturae quam omnes libri tuentur posthabendum est, tantum abest, ut ista verba corrupta esse videantur. commiserunt autem hoc loco critici ut saepe alias errorem in dialectica ratione. Tullius enim hoc volt demonstrare inde, quod Sext. Naevius non universa quae teneri ac possideri possint possederit, apparere adeo nihil istorum bonorum iure esse possessum itaque dicit: *omnia autem bona possessa non esse constitui, quod — possint.*, hoc si recte, ut par est, intellexeris, non est, ut putarant critici, Naevium non omnia possedisse, sed Naevium omnia non possedisse, *es seien alle Güter nicht in Beschlag genommen worden*, i. e. *es sei kein Gut in Beschlag genommen worden.* hoc denique nihil est aliud nisi hoc: omnino ac plane non possessa esse Quinti bona a Naevio.

Alia huius orationis menda mox alias tollemus. quam ob rem accedamus ad orationem *pro A. Caecina*, quae locis innumerabilibus cum ex libro palimpsesto Taurinensi tum e ceteris codicibus, de quibus iam rectius possumus existimare, emendanda est. ac primum quidem videmus

librum palimpsestum Taurinensem ab A. Peyronio excussum egregias scripturas multas exhibere receptas illas ab Orellio multis locis, saepe etiam neglectas, cum eoque librum Erfurtensem plerumque conspirare, nisi quod Erfurtensis in pluribus locis depravatus est quam Taurinensis, quem longe antiquiorem constat esse. quod cum ita sit, illud iure videtur a nobis posse concludi, in qua scriptura liber Taurinensis cum Erfurtensi aliisque conspiret, eam recte videri a Tulli manu profectam, sed ne hoc quidem videtur negligendum librum Erfurtensem etiam aliis locis quos non habet Taurinensis maiore praestantia esse quam reliquos libros, quod cum ex ipsorum quae habet verborum praestantia, tum maxime ex eo poterit demonstrari, quod in iis locis quos habet Taurinensis plerumque cum eo consentit et eam ob caussam integrior atque sincerior ceteris libris putandus est. haec si ita, ut dixi, vera sunt, vix poterit fieri, quin multas quas etiam ab Orellio neglectas videmus scripturas asciscamus.

Ac primum quidem c. II. §. 7. debebat Orellius non solum *vindicanda* pro *iudicanda* ex libris Taurinensi et Erfurtensi recipere, sed ulterius etiam progredi atque extrema quoque huius sententiae verba emendare hoc modo: *nam ut quaeque res est turpissima, sic maxime et maturissime vindicanda est: at eadem quia existimationis periculum est, tardissime iudicatur.*, ubi etsi quod est in libro Taurinensi *at de eadem hac quia existimationis periculum est, tardissime iudicatur*, per sese optime potest ferri, tamen cum verba *de* et *hac* punctis sint notata, quibus in isto codice semper non sine caussa delenda verba significantur cumque qui fere proxime ad optimi libri auctoritatem accedit Erfurtensis

exhibeat: *at eadem quae existimationis periculum est, tardissime iudicatur*, ubi facile apparet cur sit pro *quia existimationis* scriptum *quae existimationis*, in illa quam supra posui scriptura acquiescendum videtur: illud autem vix est quod dicam non sine summa acerbitate dici: *quia existimationis periculum est*, ac si haec ipsa istis sit caussa cur tam tarde iudicetur quae debebat iudicium maturare.

Etiam c. III §. 7. nihil caussae est cur Orellius reieceerit quae est in libro palimpsesto scripturam hanc: *si quis quod spopondit, qua in re verbo se obligavit uno, si id non facit, maturo iudicio sine ulla religione iudicis condemnatur.*, ubi Orellius se ait lubenter assentiri codicis palimpsesti auctoritati in verborum collocatione *verbo se obligavit uno*, sed repetitum *si* ante *id* ferri non posse. at recte atque ordine cum aliquid quod suspenderet inchoatam constructionem interiectum esset, Cicero recepta oratione dixit: *si id non facit.* conf. infra c. XXI. §. 58., ubi ex libri Erfurtensis ac multorum aliorum auctoritate scribendum est: *etiam si, ut longius a verbo recedamus, ab aequitate ne tantulum quidem, si tuus servus nullus fuerit, sed omnes alieni ac mercenarii: tamen et ipsi tuae familiae genere et nomine continebuntur.* sunt autem saepe Latini scriptores ita locuti, conf. T. Livi lib. *historiar.* III. c. XIX. §. 9. *scilicet si quis vobis humillimus homo de vestra plebe — quam partem velut abruptam a cetero populo vestram patriam peculiaremque fecistis — si quis ex his domum suam obsessam a familia armata nunciaret, ferendum auxilium putaretis.* cf. L. Ramshorni gr. Lat. §. 206. C. p. 702 sqq. ed. pr.

C. V. §. 13. ex eodem libro palimpsesto quocum etiam alii quorum aliqua est auctoritas, ut Erfurtensis, Palatinus secundus aliique, consentiunt scribendum videtur esse: *versabatur eo quoque tempore in his rationibus auctionis et partitionis, atque etiam se ipse inferebat et intro dabat: et in eam opinionem Caesenniam adducebat, ut mulier imperita nihil putaret agi callide posse, ubi non adesset Aebutius.* nam praeter quam quod librorum auctoritas ut *intro dabat* pro *intrudebat* scribatur requirit, sententia ipsa quoque videtur pene postulare, ut istud potius quam *intrudebat* dicatur. hoc enim loco etsi quae sequuntur verba: *quam personam iam e quotidiana vita cognoscitis*, non ita accipienda existimo, quem ad modum ea interpretatus est Orellius, ut *quotidiana vita* mimi alicuius inscriptio esse putaretur, qua inita ratione necessario scribendum erat *cognovistis*, quod est contra librorum auctoritatem: tamen negare non possumus Ciceronem facile potuisse a re scenica mutuari vocem, qua significaret in summam istius mulieris familiaritatem venisse Aebutium. in scena autem se infert is, qui non solum ante aedis versatur, sed etiam in aedis ipsas quod non faciunt nisi qui sunt ei domui familiares, se confert atque intro dat. *intro* enim frequentissimum atque usitatissimum verbum in re scenica est, quo in interiorem aedium partem moveri aliquid significatur. conf. Forcellini Lexic. s. h. v. nec vero se intrudebat Aebutius, quod si fecisset, facile esset tamquam vehementior reiectus, sed adulando se ita insinuavit, ut a muliere lubenter acciperetur. se dare autem quamquam interdum nihil videtur aliud significare nisi se conferre, habet tamen saepe adiunctam quandam notionem eius

modi, ut aliquis se totum dicatur exhibere alicui et cum quadam humilitate atque adulatione: huc accedit quod verbum *intrudendi* numquam neque apud Ciceronem nec alias me legere memini; quod tamen non tanto opere urgebo. c. eodem §. 14. his verbis pergit Cicero: *quam personam iam e quotidiana vita cognoscitis, recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, contriti ad regiam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris et callidi: hanc personam imponite Aebutio.*, ubi miror Orellium non intellexisse unam maxime veram esse scripturam *contriti ad regiam*, ubi volgo scribunt *conciti ad rixam*, non autem, ut ipse dicit, miram. namque ad libros quod attinet non solum palimpsestus Taurinensis *contriti ad regiam* tuetur, sed eo quoque vehementer ista scriptura defenditur, quod libri Oxonienses sex pro *ad rixam* scriptum habent *ad regiam.* nuper etiam cognitum est librum Erfurtensem, qui ad palimpsesti praestantiam proxime accedit, habere *contriti ad regiam*, id quod Orellius nondum poterat scire. illud autem miror quod Orellius non sensit verbum *concitus*, quod alias numquam a Tullio usurpatum est, non posse in Tulliana oratione locum habere, sed poetis et scriptoribus posterioris aetatis relinquendum esse. ad sententiam denique egregie docuit A. Peyronius p. 200. ed. Tubing. *contritum ad regiam* otiosum quemque *(subrostranum* vel *subbasilicanum)* dictum esse. paullo post debebat Orellius ex optimo libro edere: *quis igitur? ille, ille quem supra deformavi: voluntarius amicus mulieris etc.* *ille* saepe ita cum magna vi repetitur, conf. Cic. orat. *pro Milone* c. XXXIV. §. 94. *ubi equites Romani illi, illi, inquit,*

tui. Sallusti *bell. Catil.* c. XX. §. 14. *en illa, illa quam saepe optastis libertas.* deinde §. 15: scribendum erat ex libro Taurinensi, quocum iam consentit Erfurtensis: *id quod ipsi quoque mulieri veniebat in mentem* pro volgato verborum ordine *in mentem veniebat.* paullo autem post isdem auctoribus edendum erat: *nusquam posse eam melius collocari* pro volgato: *nusquam eam posse melius collocari.* ratio cur hoc statuam attento cuique ipsa patebit. mox totum locum Orellius ita constituere debebat: *itaque hoc mulier facere constituit: mandat ut fundum sibi emat. cui tandem, cui putatis? annon in mentem vobis venit omnibus illius hoc munus esse ad omnia mulieris negotia parati, sine quo nihil satis caute, nihil satis callide posset agi.* nam et pronomen *hoc* ante *mulier* ad hunc locum aptissimum est, quod cur ascriptum sit a librario excogitari nullo modo potest, nec pronomen *vobis* videtur hoc loco otiosum esse, quo appellantur qui adsunt, quorum tamen cum nemo putetur aliter sentire, recte post *venit* adiectum *omnibus* est. denique collocatio verborum *callide posset agi* melius videtur cadere maioremque vim habere quam altera: *callide agi posset.* c. XIII. §. 38. haec verba volgo leguntur: *etenim cui perspicuum non sit ad incertum revocari bona, fortunas, possessiones omnium, si ulla ex parte sententia huius interdicti deminuta aut infirmata sit?* quo in loco iam Ernestius sensit coniunctivum *sit* locum non habere, quam ob caussam mirandum est quod Orellius dubitavit Peyronium sequi, qui ex optimo libro Taurinensi, in quo habemus:.... *um est ad incertum etc.*, scribendum praecepit: *etenim cui non perspicuum est ad incertum etc.* eoque minus

iam dubitare possumus, quod collocationem istam verborum: *cui non perspicuum est*, etiam tuetur codex Erfurtensis, quamquam is quoque *sit* pro *est*, quod cum optimus liber tum Latina consuetudo requirit, scriptum habet. c. XIV. §. 39. idem Orellius debebat ex libri Taurinensis atque Erfurtensis vestigiis sine ulla dubitatione edere: *quid ergo? hoc quam habet vim: ut distare aliquid aut ex aliqua parte differre videatur? utrum pedem cum intulero atque in possessionem vestigium fecero, tum expellar ac deiiciar, an eadem vi et isdem armis ante occurratur, ne non modo intrare, verum aspicere aut aspirare possim?* quem locum iam Peyronius recte constituerat: ceterum hoc quoque loco liber Taurinensis atque Erfurtensis non solum in corruptis quae volgo legebantur verbis *ut illa res aliquid aliqua ex parte differre* emendandis egregie consentiunt, sed uno consensu etiam *ac deiiciar* pro *atque deiiciar* tuentur et *verum aspicere* pro volgato *verum etiam aspicere*, quod utrumque a me receptum esse nemo iam mirabitur.

C. XXIII. §. 64. erat ex libro palimpsesto, quocum videmus etiam Erfurtensem consentire, scribendum: *venio nunc ad illud tuum: "non deieci, non enim sivi accedere."*, ubi libri deteriores ac volgatae editiones habent: *non deieci, si non sivi accedere.* ad librorum autem optimorum scripturam comprobandam illud etiam accedit, quod ea locutio iam ante erat declarata debebatque Cicero, si *illud tuum* dicebat, isdem plane verbis eam repetere. conf. c. XI. §. 31. ubi eadem defensionis ratio pluribus quidem verbis, sed tamen eodem modo effertur: *"non deieci, sed obstiti. non enim te sum passus in fundum ingredi: sed armatos homines op-*

posui, ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum.“ quod cum ita sit, quid est caussae quin quam verborum rationem supra tulimus, eandem hoc quoque loco optimis libris consentientibus recipiamus? paullo post videtur ex libro palimpsesto scribendum fuisse: *qui sine scutis sineque ferro fuerint* pro volgato *ac sine ferro.* cf. Nep. *Attic.* c. XXV. §. 9. *pecuniam sine fenore sineque ulla stipulatione credidit* et L. Ramshorn. gr. Lat. §. 179. B. a. 1.

Sed satis credo apparet quot locis e libro palimpsesto haec oratio emendari possit, modo diligentius in unam quamque, quam is habet, scripturam inquiramus. qua re aliis locis omissis illud sequitur, ut doceam librum Erfurtensem non solum iis locis, ubi cum palimpsesto consentit, sequendum esse, sed multis etiam aliis locis unum incorruptam scriptoris manum servasse. sic c. IV. §. 11. videtur ex eo scribendum: *usum et fructum omnium bonorum suorum Caeseniae legat, ut frueretur una cum filio.* nam etsi ceteri libri videntur omnes habere: *usum fructum*, tamen videtur hoc loco illud esse a Cicerone profectum, primum quod cum formula *usus fructus* ex iuris consultorum libris satis nota esset, vix poterat *usum fructum* si antiquitus scriptum erat, mutari in *usum et fructum*, quod contra fieri facillime potuit, deinde quod etiam infra eodem modo et particula inter haec duo verba interposita est, c. VII. §. 19., ubi ex libro Erfurtensi scribendum duco: *usus enim, inquit, eius fundi et fructus testamento viri fuerat Caeseniae.* c. VIII. §. 22. haec volgo verba in libris leguntur: *quo loco depulsus Caecina, tamen qua potuit ad eum fundum profectus ex quo ex conventu vim fieri oportebat.*

quo in loco duplicem dubitationem moverunt critici neque id iniuria. primum enim vix poterimus carere hoc loco verbo substantivo *est* post *profectus*, quod recte est, cum propter compendium scripturae *profectus̄t* facillime omitti potuisse visum esset, ex coniectura adiectum. altera difficultas in eo fuit, quod verba *ex quo ex conventu* minus eleganter ad orationis sonum se excipiebant volgo: et ob eam caussam Lambinus putavit scribendum *e quo ex conventu*, quem eleganti iudicio usus Chr. D. Beckius secutus est. equidem utramque offensionem ita posse declinari arbitror, ut duce libro Erfurtensi sic hunc locum conformemus: *quo loco depulsus Caecina, tamen qua potuit ad eum fundum profectus est, in quo ex conventu vim fieri oportebat.* quae ratio et ad hunc locum aptissima est et summa libri Erfurtensis auctoritate nititur. neque enim tam ex hoc fundo quam in hoc fundo vim fieri oportebat; namque opponitur hic fundus is de quo ambigebatur antiquo fundo, de quo controversia non erat. per antiquum fundum cum accedere vellet ad eum, in quo vim fieri oportebat, iam erat depulsus, itaque nunc qua potuit accessit ad istum ipsum fundum, in quo vis parata erat. deinde facile perspicitur, unde volgata scriptura *profectus ex quo* orta sit. nam cum scriptum esset *profectus est in quo*, et illud *est*, uti saepe alias, in *ex* depravatum, omissa *in* praepositio est sive de industria sive etiam errore, cum *in* per compendium ī scriberetur. sic etiam c. XXXIII. §. 98. Erfurtensis liber cum multis aliis veram atque sinceram scripturam tuetur, quam miror ab Orellio prorsus neglectam esse. ibi scribendum est: *aut sua voluntate aut legis multa profecti sunt, quam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate*

potuissent, i. e. *wenn sie diese Strafe dulden wollten, so konnten sie demungeachtet* (*tamen*, non *tum*) *im Staate bleiben*. sic c. XIII. §. 37. recte videtur E. Wunderus praef. *ad varr. lectt. e cod. Erf. enotatas* p. LXXVI sq. existimavisse, qui unice veram dixit esse libri Erfurtensis scripturam hanc: *tu solus prohibitus et a tuis aedibus vi atque armis proterritus.*, ubi libri et editiones omnes habent *perterritus.* confusa autem saepe sunt *pro* et *per* cum in simplici praepositione, tum in composita. praeter Terent. *Heautont.* III, 1. v. 37. conf. Plauti *Trin.* III, 2. v. 77. *ne mea opera te hinc proterritum autumet.*

Etiam in verborum collocatione liber Erfurtensis quavis fere pagina ceteris omnibus, quantum ex minus accurata eorum collatione intelligi potest, longe praestat. sic c. II. §. 5. ex eo scribendum est: *sed cum de eo mihi iure* pro volgato *sed cum de eo iure mihi etc.* c. IV. §. 10. *et civis ipse multis rebus ostendit.* §. 11. *cum uteretur uxoris dote numerata.* §. 12. *matrique partem maiorem bonorum legavit.* c. IX. §. 25. *quid loquar amplius de hoc homine?* c. X. §. 29. *adductum esse pretio.* §. 30. *cum caussa ab illis ageretur.* c. XVII. §. 48. *in fundum Caecina utrum tandem noluit*, quam collocationem verborum etiam liber palimpsestus tuetur. c. XIX. §. 55. *quo de agitur.* c. XXVII. §. 78. *qui ita iustus est et bonus vir.* ibid. *ut quidquid inde haurias, parum te liquidumque haurire sentias.* §. 79. *vester iste auctor.* c. XXVIII. §. 81. *re et sententia cognita.* c. XXX. §. 86. *attendite quaeso diligenter reciperatores* pro volgato *attendite diligenter quaeso, reciperatores.* conf. *de senect.* c. XVII. §. 59. *multas ad*

res perutiles Xenophontis libri sunt, quos legite quaeso studiose, ut facitis. paullo post ex eodem libro scribendum est: *non enim id sum dicturus, quod ego invenerim.* longum est in singulis his locis explicare cur qui est in libro Erfurtensi verborum ordo anteferendus esse videatur, quamquam multis id locis facile est ad intelligendum, intelligetur autem ab illo optime, qui diligentissime lectitaverit Tulli opera.

Maxima nuper lux affulsit orationi Ciceronis, quae est *pro L. Flacco*, ex libris palimpsestis quos diligentissime excussit A. Maius. etenim non solum nova quaedam fragmenta in istis membranis detecta sunt, sed permulti loci turpiter corrupti ex eis possunt emendari. ac primum quidem c. II. §. 5. ex eo libro videtur scribendum esse: *condemnatus est is qui Catilinam signa patriae inferentem interemit*, ubi volgo legitur *damnatus*, illud autem *condemnatus*, quod libri palimpsesti auctoritate confirmatur, cum esset per compendum *cdemnatus* vel *ↄdemnatus* scriptum, facillime potuit in *damnatus* depravari. sed alia quoque eaque graviora menda illius codicis ope tolli poterunt. c. VI. §. 14. scripta haec verba sunt in editionibus ac libris praeter palimpsestum omnibus: *primum quod distributis partibus sermo est, tota Asia dissipatus Cn. Pompeium, quod L. Flacco est vehementer inimicus, contendisse a D. Laelio paterno amico ac pernecessario, ut hunc hoc iudicio arcesseret.* quo loco cum indicativus *est* in verbis his: *quod L. Flacco est vehementer inimicus*, faceret contra Latinam consuetudinem, Huldricus recte erat suspicatus legendum esse *esset* pro *est*, quam coniecturam perverso iudicio improbavit Orellius, nunc autem cum liber palimpsestus eam

tueatur non minus quam loci ratio flagitet, nemo praestantissimam scripturam repudiabit. c. eodem, §. 15. et libri optimi auctoritas et sententiae aequabilitas postulat, ut ista verba sic constituamus: *sic sunt expressa ista praeclara, quae recitantur psephismata, non sententiis neque auctoritate declarata, non iure iurando constricta, sed porrigenda manu profundendoque clamore multitudinis concitatae.* hoc enim loco si pro *non* scribatur *nec* ante *iure iurando*, sententiae ratio pessumdatur. c. VII. §. 17. scribendum ex eodem libro est: *nuper epulati, paullo ante omni largitione saturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate sua, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores et zonarii conclamarunt.* hoc loco pronomen *sua* ex libro optimo erat adiiciendum, nam et potuit facillime omitti estque etiam alias id factum et ad huius loci sententiam pene necessarium est. conf. supra c. VI. §. 14. *omnemque ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulisse.* pro P. Sestio c. XXXI. §. 67. *accessit ad caussam publicam: restitit auctoritate sua reliquis rebus: de praeteritis questus est.* pronomen vero *suus* saepissime excidit in libris deterioribus, conf. ut uno exemplo defungar, eiusd. orat. c. LXII. §. 130. *cumque eum ad domestici exempli memoriam et ad Numidici illius Metelli casum vel gloriosum vel gravem convertisset: collacrimavit vir egregius ac vere Metellus totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit: nec illam divinam gravitatem plenam antiquitatis diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam.*, ubi in libris

omnibus amissum est praenomen *suo post beneficio*, quod cum Manutius coniectura reprehendere vellet, in collocatione tantummodo verborum erat falsus, quod scribendum existimavit: *et meeum absens suo beneficio rediit in gratiam.* nunc liber praestantissimus id adiicit loco suo.

Iam supra vidimus criticos interdum etiam in eo erravisse, quod ibi lacunas in libris esse putarent, ubi omnia essent integra, sic ut ne una quidem littera excidisse videretur. accedat novum huius rei exemplum. orationis eius quae est *pro P. Flacco*, c. VIII. §. 19. volgo creduntur nonnulla deesse, ubi ego mihi videor ne levissimum quidem omissionis vestigium deprehendere. nam postquam Tullius Graecorum testimonium infirmavit hortatusque est iudices, ut in rem ipsam inquirerent his verbis: *itaque perscrutamini penitus naturam rationemque criminum; iam nihil praeter spem, praeter terrorem ac minas reperietis*, iam ut istorum hominum rationes exponat doceatque Flaccum ne potuisse quidem praedari in illorum civitatibus sic pergit c. IX. §. 20. *in aerario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus. duae rationes conficiendae pecuniae aut versura aut tributo. nec tabulae creditoris proferuntur nec tributi confectio ulla recitatur etc.* in quibus quis potest ad sententiam loci quicquam omissum putare? quam ob rem cum ne in scholiis quidem ab A. Maio editis ullum sit omissionis vestigium et egregie ista argumentationis Tullianae ratio explicata sit p. 20., vix ulla dubitatio potest esse quin haec verba integra sint.

C. XVII. §. 41. *sed quoniam de hoc teste totoque Mithridatico crimine disseruit et subtiliter et copiose Q. Hortensius, nos, ut instituimus, ad reliqua per-*

gamus: hoc loco vera scriptura iam erat ex paucis illis quidem, sed bonis libris ascita, plerique autem codices verbum *crimine* dicuntur omittere. nunc videmus librum praestantissimum ipsum quoque illud verbum tutari, in quo haec verba scripta sunt: *totoque Mithridatico crimine: eleganter et oratorio stomacho: mithridatico crimine quasi mithridatico bello. illud autem crimen significat quod Mithridates ille pergamenus intenderat.* c. XIX. §. 45. ex eodem libro scribendum est: *Heraclidem istum Temni nemo postea vidit.* mox c. XX. §. 46. confirmat ille codex veram eamque iam inde a Faërno receptam scripturam hanc: *qui tamen credidit P. Fulvi Neratii lectissimi hominis fide.* etiam infra §. eadem videtur liber palimpsestus rem de qua diu multumque dubitatum est ab hominibus doctis conficere. scripta ibi haec verba sunt: *habebat enim rhetor iste adolescentis quosdam locupletis, quos dimidio redderet stultiores quam acceperat, ubi nihil possent discere nisi ignorantiam litterarum.* hoc loco cum in libro Vaticano quem video non solum cum optimis quibusque codicibus facere, verum etiam in iis locis, quos habet palimpsestus, ab huius praestantia proxime abesse, ultima haec verba: *ubi nihil possent discere nisi ignorantiam litterarum*, omissa essent, ex oratione Tulliana ista verba eiicienda putarunt Ursinus, Schützius, Wolffius: Orellius autem rem tamquam incertam in medio reliquit, uncinis verba circumdedit. nos vero speramus posse hoc loco effici, ut si accuratius in ista verba inquisiverimus, intelligamus necessario ea esse omittenda. ad sententiam enim ipsam quod attinet negare non possumus ea, etiam si non idem quod ante dictum sit contineant, tamen nihil novi afferre

quod, quo iure a Tullio adiunctum sit appareat: ac ne loco quidem suo posita, omninoque Ciceronis ingenio indigna videntur esse. huc accedit, ut etiam ipsa verba non satis Tulliana esse videantur. namque ille numquam alias usurpavit nomen *ignorantiae*, sed quotiens hanc vim debebat significare, *ignorationem* dixit. etenim qui unus locus huc possit vocari Cic. *de amic.* c. XIX. §. 70., ibi optimae editiones ex optimis libris iam pridem scriptum habent: *ut, in fabulis qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in fabulatu fuerint, cum cogniti sunt et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt.*; pauci libri ac deteriores editiones retinent *propter ignorantiam stirpis*. vix est quod dicam, eo loco, quem alterum adiicit Nizolius ex orationis *Sestianae* c. XVII. §. 39. petitum, in omnibus scriptis libris atque editis scribi non *per ignorantiam*, sed *per ignominiam*, quae unice vera scriptura est. videtur igitur Cicero cum vocem *ignorationis* saepissime usurparit, *ignorantiae* verbum aut non novisse aut de industria declinasse: quam ob rem hoc quoque loco istud verbum recte nobis suspicionem interpolationis videtur habere. ad librorum auctoritatem quod attinet iam supra diximus librum Vaticanum, cuius scripturas debemus Niebuhrio *Fragment. Ciceron.* p. 113 sqq., iure haberi praestantissimum, qui cum ista verba omittat, quae neque ab huius loci sententia commendentur et a genere dicendi, quo usus est Tullius, videantur abhorrere, iam confecta esse res existimari queat: at cum ex libro palimpsesto intelligi etiam illud possit, qui factum sit, ut ea in Tulli orationem immerito reciperentur, impudens sit qui etiam

nunc se dubitare dicat. scholiasta autem iste haec verba habet: *Habebat discipulos quos dimidio redderet stultiores quam acceperat: inludit personae rhetoris inperiti, hanc eruditionem discipulorum fuisse in eius schola dicens, ut in ea nihil aliud disceretur praeter ignorantiam litterarum.* unde apparet verba quae scripserat Tullius: *habebat enim rhetor ille adolescentis quosdam locupletis quos dimidio redderet stultiores quam acceperat.*, esse a scholiasta per istam dictionem, quae videtur in proverbi consuetudinem abisse, *nihil discere praeter ignorantiam litterarum*, explicata, quae tum ab alio librario in ipsam orationem incaute recepta est. ne quis autem hoc dicat ex scholiastae annotatione illud potius colligi posse Ciceronem ipsum ista verba dixisse, cum dicatur: *inludit personae rhetoris — dicens etc.*, commemoro eiusdem scholiastae verba ad orat. pro *A. Licinio Archia* c. X. §. 25. p. 247. *ex his rebus, quas vendebat, iussit ei pretium tribui, sed ea conditione, ne quid postea scriberet: non potuit expressius vitia poetae declarare, quam dicendo datum illi non praemium laudis, sed mercedem silentii.*, quo loco ipso quoque sententia communi studet scholiasta Ciceronis verba explicare, ipsius autem sententiae non sunt vestigia in Tulliana oratione.

C. XXI. §. 51. legendum videtur ex vestigiis libri palimpsesti: *venio ad Lysaniam eiusdem civitatis peculiarem tuum, Deciane, testem: quem tu cum ephebum Temni cognosses, quia tunc te nudus delectaverat, semper nudum esse voluisti.*, ubi volgata scriptura est: *quoniam te nudus delectarat*, palimpsestus autem

scriptum habet *qui tunc te nudus delectaverat*, Vaticanus *qua te nudus delectarat*, veteres quaedam editiones atque Faernus *quia tum te nudus delectarat*. c. XXXII. §. 78. videtur ex eodem libro palimpsesto edendum: *cum ibidem esses, cum prodire nolles, non est hoc in absentem, sed in latentem reum.* verba enim *sed in latentem*; quae ego ex illo codice adiicienda putavi, apparet quam facile potuerint ab librario post *in absentem* omitti, ac si ad hunc locum non sunt necessaria, habent ea tamen quandam gravitatem et oppositionem orationi accommodatam. etiam §. 80. videtur *aut* particula ex libro optimo recipienda in verbis his: *subsignari apud aerarium aut apud censorem possint* idque etiam scholiastae explicatione confirmatur. c. XXXIII. §. 82. scripsit Orellius cum Lambino ac Schützio: *invidisti ingenio subscriptoris tui. quod ornabat facete locum, quem prehenderat.* at quid quaeso est facete ornare locum quem prehenderis? id quidem mihi videtur et ad huius loci sententiam valde ineptum esse neque ulla niti librorum auctoritate, libri enim qui collati sunt omnes habent: *quod ornabat facile locum quem prehenderat*, ita ut quod Lambinus scripsit *facete* ex eo errore, quo in editionem Cratandrinam et Hervagianam pro *facile* irrepsit *facere* solita permutatione, ortum esse videatur. cum autem scriptura *facile* sese commendet ipsa per sese, tum confirmatur etiam gravissimo libri palimpsesti testimonio, in quo haec verba recte scripta in hunc modum sunt: *invidisti ingenio subscriptoris tui, quod ornabat facile locum quem prenderat.* c. XXXIV. §. 84. ex eiusdem libri auctoritate edendum erat: *nihil enim potest de tutela legitima nisi omnium tutorum auctoritate deminui* pro volgato *sine omnium tutorum*

auctoritate deminui. particulae *nisi* et *sine* confusae etiam alibi sunt. denique eiusdem orationis c. XXXVII. §. 94. ex eodem libro scribendum videtur: *videtis quo in motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur.* ubi volgatae editiones habent, *in quo motu*, praestantissimi vero libri scriptura *quo in motu temporum* praestat iam propterea quod sequitur: *quanta in conversione rerum ac perturbatione.*

Plura etiam ad orationem Ciceronis *Sestianam* emendandam ex isto libro palimpsesto peti possunt. ac primum quidem c. III. §. 7. ex eius libri testimonio apparet recte in quibusdam editionibus dici P. Sestium filiam L. Scipionis, non C. Scipionis, in matrimonium duxisse. L. Scipionis, qui cum C. Norbano consul fuerat, vitam breviter adumbravit scholiasta, docteque existimavit A. Maius istam scripturam unice veram esse. rem iam pridem perspexerat Rutgersius ad Vellei. Paterc. II, 25. p. 227. ed. P. Burm. §. 8. pene adducor ut credam verba, quae habet scholiasta Vaticanus, etsi ea videri possint libere ab eo excerpta ac translata, ab ipso Tullio profecta esse omnia, ut iam scribendum esse videatur: *impedior nonnullius offici, ut ego interpretor, religione quo minus exponam quam multa P. Sestius, cum esset cum collega meo, senserit, ad me detulerit, quanto ante providerit.* tantum enim abest ut plena Sesti appellatio hoc loco molesta esse videatur ut non sine caussa posita facile cognoscatur, cf. infra; *par prope laus P. Sesti esse debet.* c. IV. §. 9. *qua de caussa et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sestio maximas gratias egit; et hoc tempore idem homines nomine commutato coloni decurio-*

nesque fortissimi atque optimi viri beneficium P. Sesti testimonio declarant, periculum decreto suo deprecantur., ubi sine ulla caussa probabili Manutio verba *P. Sestii* erant suspecta, quae non sine quadam gravitate sunt a Cicerone adiecta, cf. praeterea *Laeli* c. II. §. 7. ubi scribendum est ex praestantissimis libris: *itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras.*, quo in loco neque particulam *item* vulgo recte collocant hoc modo *credo item ex hoc Scaevola*; et sine iusto argumento nomen *Scaevolae* delendum existimaverunt esse. c. V. §. 11. 12. 13. eodem modo semper *P. Sestius* commemoratur. sed cum non satis certe intelligi possit quanam ratione in libris vulgaribus omissa sint ista verba, in medio rem relinquam et satis habeo meam quandam suspicionem significasse. c. IV. §. 10. huius orationis non potest dubitari quin sine ulla caussa critici integram scripturam eiiciendo tentarint hanc: *recita quaeso, P. Sesti, quid decreverint Capuae decuriones; ut iam puerilis tua vox possit aliquid significare inimicis nostris, quidnam cum se corroboravit effectura esse videatur*, quo in loco pronomen *aliquid*, quod est in libris omnibus in suspicionem vocavit Ernestius, delevit Schützius, Orellius etiam hodie dubitavit vocem insontem immerita suspicione liberare; quam cum etiam liber rescriptus tueatur vix operae pretium est exponere, cur ea non queat hoc loco omitti; namque uti nulla potest perspici caussa, cur istud verbum a librario ascriptum esse videatur, quo loci ratio impediatur potius quam explicetur; ita modo recte hunc locum perceperimus, quem ad modum istud verbum interpretandum sit facile intelligetur. namque *aliquid* pronomen etsi ad hunc locum non est necessarium, tamen aliquam adiungit notio-

rem quae maxime videatur in hunc locum convenire, ut dicatur ut iam *aliquid*, i. e. g r a v i u s q u i d d a m a t q u e m a i u s, tua vox possit significare, et deinde tamquam explicationis caussa adiiciatur haec verba: *quidnam cum se corroborarit effectura esse videatur.*

C. V. §. 12. usque ad hoc tempus grave mendum Tullianam orationem inquinavit, quod iam triplici libri palimpsesti testimonio repudiatum removebimus. vulgo ibi leguntur haec verba: *quot stimulos admoverit homini studioso fortassis victoriae, sed tamen nimium communem Martem bellique casum metuenti?* sic in libris quantum equidem sciam omnibus atque in cunctis editionibus hunc locum scriptum habemus, ita ut F. Handius *Tursellini s. de particulis Latinis commentariorum* vol. II. p. 729. de vitio nihil suspicans hunc locum attulerit, quo probaret Tullium non modo *fortasse* frequentasse, verum etiam *fortassis* dixisse. quem errorem miror a viro egregio mihique amicissimo, qui vel de coniectura particula *fortassis* Tullianum sermonem debebat liberare, esse commissum. dubitari enim non potest quin Cicero, ut semper alias, ita hoc quoque loco particulam *fortassis* repudiarit. et hoc quidem loco licet ceteri omnes libri *fortassis* habeant, qua de re propter negligentem eorum collationem potest dubitari, tamen liber palimpsestus, quem iure nostro habemus praestantissimum, habet *fortasse* idque ter repetitum: in eo haec verba scripta sunt: *q u o s s t i m u l o s a d m o v e r i t h o m i n i s t u d i o s o f o r t a s s e v i c t o r i a e:* *notissimum est in historiis C. Antonium exercitui praepositum, qui contra Catilinam duceretur. et eleganter hoc omne victoriae meritum derivat in P. Sestium quaestorem, quasi eius incitamento factum sit ut Antonius vinceret.*

subdidit μετὰ κολακείας homini studioso fortasse victoriae. nam fortasse dubitativum est. ita et dicendo studiosum victoriae Antonium pepercit et dubitando laceravit. sic videmus in eo codice, quo usus est iste scholiasta, sine dubio *fortasse* ibi scriptum fuisse, ubi in nostris editionibus volgo legebatur *fortassis.* at, inquies, sunt etiam alii Ciceronis loci, ubi *fortassis* in libris esse videatur. vereor ego ne minor etiam sit ceterorum locorum auctoritas quam huius, cuius nulla fuit. qua re age inquiramus in omnis eos locos, quos F. Handius ut sententiam suam stabiliret attulit. Cic. lib. *de officiis* II. c. VI. §. 20. *quae si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortasse etiam brevior videbitur.* ubi libri qui accurate collati sunt omnes *fortasse* tuentur, ut Bernenses quinque, Basileensis aliique, volgo autem ante C. Beierum in editionibus omnibus, ex quarum numero tamen eximendae sunt Manutiana et Lambiniana, *fortassis* scriptum erat. in *Verrin.* autem lib. II. c. XLIII. §. 107. recte videtur C. G. Zumptius *fortassis* quod tantummodo tres codices habent ei quod reliqui libri tuerentur *fortasse* postposuisse. ad lib. *epist. ad famil.* II. ep. XVI. §. 18. quod attinet, eo loco codex Mediceus Victorianaque editio *fortasse* habent ideoque confecta res est. ultimus locus, qui est allatus ab Handio, est ille ipse orationis Sestianae, quem auctoritate libri palimpsesti vitio liberatum supra scripsimus. quae cum ita sint, non videtur Charisius lib. II, 165. sine idonea caussa docuisse formam *fortassis* Latinis auribus minus placuisse, mihi quidem exploratum est Ciceronem numquam ea forma esse usum.

C. VII. §. 16. haec verba volgo leguntur: *vel ut ego arbitror exoratus vel ut non nemo putaret mihi ira-*

tus etc. omnes interpretes facile senserunt absurdum hoc loco esse coniunctivum *putaret*. itaque Ernestius de coniectura sua edidit *putat*, quem secutus etiam Schützius est, Garatonius aut delendum verbum aut id mutandum in *putabat* existimavit. hoc debuisse Orellium reponere et per se constat et inde probatur, quod liber palimpsestus diserte *putabat* scriptum habet. sequitur iam locus difficillimus, qui tamen egregie libri palimpsesti ope restitui possit. c. VIII. §. 18., ubi orator consules describit Gabinium et Pisonem, quorum neutrum potuit probare. et de Gabinio quidem haec dixit, ut volgo habentur in libris: *alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum ac veteres vexatores aetatulae suae, puteali et feneratorum gregibus inflatus atque perculsus, olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat. contemnebat equites Romanos, minitabatur senatui etc.*, quibus in verbis expressa corruptionis vestigia apparent. quanto autem melius omnis hic locus constitui atque etiam explicari poterit ex quo egregia A. Mai industria libro palimpsesto uti possumus. his enim excussis copiis apparet locum corruptum emendate ita esse scribendum: *alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum ac veteres vexatores aetatulae suae, puteali et feneratorum gregibus inflatus, a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tamquam in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat, contemnebat equites Romanos, minitabatur senatui etc.* haec verba totidem pene litteris non solum liber palimpsestus custodivit, verum etiam optimi libri, qui ante eum erant excussi in eadem scriptura defendenda

consentiant, ut in eo quod in libris optimis scriptum est *compulsus* pro *perculsus*, quod videtur ex coniectura sive librarii sive recentioris cuiusdam critici fluxisse. restat ut iam singula quae possint difficiliora videri aut etiam nunc quandam corruptionis suspicionem movere explicem. ac primum quidem in verbis *puteali et feneratorum gregibus inflatus*, in eo videntur errasse critici quod *puteali et feneratorum gregibus* pro ablativo habuerunt atque *a* praepositionem addendam putarunt. ille vero dativus est, qui ut cum omni verbo, quod quandam animi affectionem exprimit, sic etiam cum participio *inflatus* recte coniungitur. hic dativus quo significatur Gabinium inflatum fuisse non tam erga alios homines quam erga feneratores, a quibus olim iniurias perpessus erat — solent enim homines non magni animi sese iis potissimum inflare, a quibus se putant cum esset alia vitae conditio esse contemptos —, non magis debebit quemquam offendere, quam si apud Horatium lib. *Satirarum* I, 1. v. 20 sqq. dicitur:

> *quid caussae est, merito quin illis Iupiter ambas*
> *iratus buccas inflet neque se fore posthac*
> *tam facilem dicat, votis ut praebeat auris?*

sequuntur iam haec verba: *a quibus compulsus olim, ne in Scyllaeo illo aeris alieni tanquam in freto ad columnam adhaeresceret*, quae quin recta in libro palimpsesto scripta sint non potest esse ulla dubitatio. facile enim potuerunt verba *a quibus compulsus*, cum pronomen *quibus* per compendium esset scriptum, in *atque compulsus*, unde nata est scriptura *atque perculsus*, mutari, recteque iam Garatonius viderat quae hoc loco requireretur sententia, cum coniecit nimis quidem audaciter ille sic haec verba scribenda esse: *puteali et feneratorum gregi subiratus*, *a*

quo compulsus etc. quod autem ex eodem libro ante *Scyllaeo* particulam *in* adiiciendam putavi et *tamquam* ante *in freto* recipiendum, id nemo mirabitur qui consideraverit in illis verbis *in Scyllaeo illo aeris alieni* dici *Scyllaeum illud* quasi substantivum de periculosa aeris alieni conditione, deinde autem a Tullio verba *tamquam in freto* adiungi, ut translatio ista mitigetur magisque appareat. de columna ista quae est Maenia recte iam scholiasta Vaticanus existimavit. denique receptis his verbis non potest esse controversia, quin post *perfugerat*, pro quo per errorem in libro palimpsesto *perfugeret* propter antecedens *adhaeresceret* scriptum est, comma ponendum sit et *contemnebat* cum nominativo *alter unguentis affluens etc.* cohaereat.

C. XII. §. 29. bis reiicienda est forma ablativi *civi* atque auctoritate libri palimpsesti scribendum: *quod ausus esset pro cive, pro bene merito cive, pro amico, pro re publica deprecari.* c. XIII. §. 30. ex eodem libro edendum est: *nihil acerbius socii et Latini ferre soliti sunt quam se, id quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi.* de scriptura *socii et Latini* vid. Manutium ad Cic. *de amic.* c. III. §. 12. *domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis pridie quam excessit e vita.* c. XIII. §. 39. quam scripturam iam ex libris Oxon. sex aliisque receptam oportebat, eam videmus etiam optimi libri auctoritate confirmari, ita ut scribendum sit: *non verebar ne quis aut vim vi depulsam* (volgo legitur *repulsam*) *reprehenderet aut perditorum civium vel potius domesticorum hostium mortem maereret.* c. XIX. §. 43. ex eodem libro scribendum est: *cum quidam in concione dixisset aut mihi semel pereundum aut bis esse vincendum.* etenim non

solum in ipso lemmate haec verba ita scripta habet scholiasta Vaticanus, verum etiam exponit, quis iste quidam fuerit: *videtur*, inquit, *istic vel ipsum Pisonem vel quod ab aliis proditum est Gabinium significare.* c. XXII. §. 49. liber palimpsestus verborum collocationem, quam Graevius, Ernestius, Schützius nescio qua auctoritate receperant confirmat hancce: *et unus bis rem publicam servavi, semel gloria, iterum aerumna mea.* c. XXIV. §. 62. persanandus est locus diu multumque variis coniecturis tentatus simplicissima libri palimpsesti scriptura, in quam nemo adhuc, quod miror, coniectura incidit, scribendumque: *adiit tum periculum, sed adiit ob eam caussam, quae quanta fuerit iam mihi dicere non est necesse.* c. LIV. §. 116. *ipse ille maxime ludius non solum spectator, sed etiam acroama etc.* volgata scriptura *ipse ille maxime ludius* etiam libri palimpsesti testimonio vindicatur: itaque nulla videtur esse caussa cur Orellius haec verba sibi corrupta videri dixerit.

Foedissimum vitium a nullo adhuc critico detectum obsedit usque ad hunc diem omnis Ciceronis editiones in eiusdem orationis c. LVII. §. 122., ibi enim ex Accio volgo affertur hic versus:

ó ingratifici Argivi, inanes Grdii, immemores bénefici.,

ubi quid quaeso sibi volt *inanes* inter verba *ingratifici* et *immemores benefici?* inane est profecto istud verbum hoc loco. qua re existimandus est A. Maius recte statuisse ex libro palimpsesto scribendum esse:

ó ingratifici Argivi, immunes Grdii, immemores bénefici.,

id quod scholiasta etiam explicavit rectissime: *o i m m u n e s G r a i!* inquit, *et haec verba sunt de tragoedia, in qua verbum istud i n m u n e s ingratos significat, quem ad*

modum *** *munificos dicebant eos qui grati et liberales exstitissent.* quis igitur potest dubitare quin *immunes* recipiendum sit? quod verbum si in *immanes* erat depravatum, ut est in quibusdam libris Ciceronis *de amic.* c. XIV. §. 50. *immunis* in *immanis* corruptum, quod non debebant cum alii tum Orellius nuper commendare, facile *inanes*, quod nullo modo ad hunc locum accommodari potest, poterat enasci. cum de isto nomine adiectivo *immunis* plura ad istum Laeli locum dicenda sint, iam ad alium locum me converto. c. LVIII. §. 124. libro optimo confirmatur volgata scriptura haec: *venit, ut scitis, ad columnam Maeniam.*, ubi non debebat Orellius ex quibusdam libris commendare: *venit, ut scitis, a columna Maenia*, quae hinc orta est mutatio, quod in antiquo libro scriptum erat: *ad columnā Maeniā.* c. LIX. §. 126. videtur ex libro optimo scribendum: *emergebat subito cum sub tabellas subrepserat, ut m a t e r t e a p p e l l o dicturus videretur. itaque illa via latebrosior, qua spectatum ille veniebat.* c. LXII. §. 130. iam supra vidimus ex eodem libro scribendum esse: *et mecum absens beneficio suo rediit in gratiam.* c. LXIV. §. 133. videtur A. Maius probabiliter coniecisse ex libri palimpsesti vestigiis scribendum: *acta mea sibi ait displicere: sed quis nescit? qui legem meam contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio, quo quis petierit aut petiturus sit, dare.* c. eodem, §. 135. liber palimpsestus scripturam quam iam Orellius e coniectura reponendam duxit confirmavit hanc: *Caeciliam Didiam, Liciniam Iuniam contempsit.* c. LXV. §. 135. scribendum ex eodem libro *ii* pro *hi medentur rei publicae etc.* c. LXVII. §. 141. eadem auctoritate scribe *Miltiadi* pro *Miltiadis* et de-

inde *neque Aristidi* pro *nec Aristidis.* denique c. LXVIII. §. 142. ex libro palimpsesto intelligitur nullam fuisse caussam cur Orellius in verbis his: *hunc sui cives e civitate eiecerunt* commendaret quod est in quibusdam editionibus *de civitate*, cum et optimus liber tueatur *e civitate* et in oratione *pro L. Flacco* c. VII. §. 16. consentiente libro palimpsesto dicatur: *tum optimos meritos civis e civitate eiiciebant.* sed cum in eo loco, a quo modo digressi sumus, liber palimpsestus pro *eiecerunt* exhibeat *eiciuntur* vix potest dubitari quin totus locus ita constituendus sit: *hunc sui cives e civitate eiiciunt: nos etiam hostem litteris nostris et memoria videmus esse celebratum.*

INDEX LOCORUM EMENDATORUM.